



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.  
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è  
Societate Jesu**

**Giuglaris, Luigi**

**Francofvrti, 1684**

Moses Levi Nepos. Exegesis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38349**

*M O S E S*  
*LEVI NEPOS.*

*E X E G E S I S.*

Haecenus homines Natura genuit, nunc Deos  
 Provectiori Mundo Ingenium crevit.  
 Novi Regis odio flagrante,  
 Nova Hebræorum spes nascitur, Moses.  
 Ortu, Vita, Obitu,  
 Intra fidem, supra opinionem.  
 Utero exactus flumini traditur;  
 Ut lethes esset pro lavacro,  
 Sed jactura caruit hic jactus.  
 „ Mergi non potest spectata pulchritudo.  
 Inter papyros hærentem ac biblos  
 ( Jam tum Biblia meditabantur )  
 Regia spectans puella,  
 Optat, educit ; adoptat ; educat.  
 Sed lubricum Aulæ culmen ingenuis :  
 Fratrum olores perosus,  
 Ægyptio confosso, Ægyptum deserit,  
 Obscuro secessu, successu illustri,  
 Nam Ovium Pastor, mox Hominum,  
 Dilecto Populo deligitur Princeps.  
 Primus Mofi labor, Hebræorum libertatem rogare :  
 Sed à Tyranno.  
 „ Frustra nimirum rogantur , quibus aures in oculis.  
 Manu igitur, quam linguâ, facundior  
 Ut aures audiant, oculos terret.  
 At quos Deus obfirmat, plectas facilius quam flectas.  
 Hebræos cedente Mari incedentes ,  
 Vado sequitur Pharao.  
 Sed in undis demersus, memori elemento pœnas dedit,  
 Quas nascenti Mofi decreverat.  
 „ Sic suis artibus pereunt Tyranni.  
 Tanta pro suis fecit Moses ; plura pertulit à suis.

Nam sternax Vulgus promissas ad sedes educus,  
Angitur dum agitur ;

Sanctumq; ductorem, ut seductorem criminatur.

„ Adeo nec probi immunes à probris.

Profuit Mofi Pastoritia :

Didicerat cum Brutis vivere.

Quanta in contumaces missa beneficia & amissa  
Liquitur invitâ de Pumice non ingratus ingratis liquor :

Virgâ lapides molliente, non Homines.

Sapit siti admonitis amarus nuper aquarum haustus :

Nec linguæ amator melle depellitur.

Tota condiendis altilibus ancillatur Natura :

Sed rabida ora munus mandunt, munificem mordent.

Canescunt dulci rore concreta gramina :

At delicata mancipia incipiunt fastidire delicias.

O vestro luto lutulentiores !

„ Nil dissolutius servo recens soluto.

„ Nam servitutis impatiens, libertatis incapax,

„ In servitio libertatem amat, in libertate servitium.

Duras igitur ut cervices emolliat Moses,

Ad Tonantem scandit per fulmina ;

Leges rogaturus, quas irroget.

Sed divino è cultu Deo similis reversus.

Jumenti Cultores Jumento similes reperit :

Geminas facie faces ejaculatus,

Qui passim strati,

Legem detrectant, obtrecent legislatori.

Adeo periculosum Antistiti gregem deserete,

Etsi Deum adeat,

Jam verò iteratis oraculis

Ter alius, & ter idem,

Civile, Militare, Pontificium Jus edens,

Proceres, Duces, Pontifices,

Foro, Castris, Templo constituit.

Omnium ditissimus,

Deum in Arca possedit.

Omnium doctissimus,

Divina gesta Commentariis excepit,

Omnium strenuissimus,

Stationes quaterdenas annis totidem meritis,  
Viam per avia vel invenit, vel fecit.

Quin ipse Belli Dux, & bellica machinæ.

In Monte fixus,

Hostem dejicit, dum manus erigit.

Populo denique tot per elades traducto,

Primum ac postremum optati soli conspectum rapientis

Patriam amisit, cum vidit.

Hoc tantum Humanum fecit, quod defecit.

Morientem nemo vidit,

Mortuum nemo invenit,

Tumulum nemo erexit,

Si Deus moreretur, sic moreretur.

Quis Mosem neget Pharaonis Deum?

## AARON

MOSIS FRATER.

PARENÆSIS.

Adeste Præsules. Paucis vos moneo.

Cecidi; nemo fidat; Convalui; nemo diffidat,

Ego Pontificum Princeps, & Principum Pontifex,

Mosis frater, immo pater fratris sui.

Nam quod alteruter carebat, ab alterutro sumsit

Illi ego linguam, ille mihi manum suffecit.

„ Uni omnia nunquam concessa.

Sed ego nimia indulgentior,

Vulgo Deum Deo meliorem flagitanti, Dæmonem dedi.

Inaurium auro flammis domito, Monstrum conflagavi:

Ut aurium dolore oculi respicerent.

At nimis imperitè aureum formavi, si coli volebam:

Cum aurum colatur vel informe, & Numus pro Numine  
sit.

Materiæ pretio vilem addidi Jumentum speciem,

Ut Numen darem colentibus simile.

Sic circa Vitulum vitulantur lascivi,

Et Pastores ducuntur à Pecude.

Itaq;